

D E S.  
E R A S M I      *Ab anno ducatur, quod  
R O T.                cum expurgari permisum.*  
I N  
**E P I S T O L A S**  
**A P O S T O.**  
**L I C A S P A-**  
**R A P H R A**

S I S.

*Omnis eram gen caute ligatus, tam multa impunis uere-  
ctuus sum, ut nix omnia expurgari putant*



VIR T U T E D U C E,

C O M I T E F O R T V N A.

*Ita conformie ad  
expurg. de su-*

*Mondragon*

L V G D V N I A P V D S E B.  
G R Y P H I V M,  
1544.

*esde la Comp. de Jesus de*



# REVERENDISS.

IN CHRISTO PATRI AC

Dominō, Dominō Grimano Veneto,

Cardinali titulo S. Marci,

D. Erasmus Rot.

S. D.



VIBVS nouum uideri solet reuerēdissime pater, quur Paulus apostolus ὡληντήριας Romanis Græcē, quām Romanē scribere maluerit, mirari desinent, si perpenderint primum, illis temporibus Græci sermonis usum penē tam latē patuisse, quām latē Romanum patebat imperiū. Deinde Romanis ipsis adeò quondam in delicijs suis Græcanicas literas, ut eares Satyrarum coniunctijs sit exagitata. Siquidem apud Lucilium Scœuola ridens Albutium, ut plus aequo φίλοιλω, χαῖρε, inquit Fr̄etor Athenis: & apud Iuuenalem stomachatur quispiam, negans se ferre posse Græcam urbem. Quanquam ita Græcē loquutus est Apostolus, ut à merē Græcis non satis queat intelligi, ob passim admixtam Hebrei sermonis proprietatem. Quod si maximē Græca, ac purē Græca fuisset oratio, multum tamen adhuc difficultatis superesset lectori, quod cùm scriberet rudibus adhuc, & nuper Christo initiatis, mysteria quædam magis attigit, quam tractavit, & indicauit uerius, quām explicuit, uidelicet tempori seruiēs. Nunc uero cùm Roma tota adeò sit Christiana, ut illi totius Christianæ religionis sit arx culmenq; ac per uniuersum terrarū orbem Romanē loquantur quicunque Romanum agnoscunt pontificem, uidebar mibi facturus operæ pretium, si effecissem ut Paulus iam

ad d. 2 merē

# DOCE REVA SERMONI

ROT. IN EPISTOLAM  
PAVLI APOSTOLI  
AD ROMANOS PA-  
RAPHRASIS.



A V L V S ego ille ē Saulo factus,  
ē turbulentō pacificus, nuper ob-  
noxius legi Mosaicæ, nunc Mosi  
libertus, seruus autem factus Iesu  
Christi, h. aud quidem perfuga, de-  
sertor uero pristini instituti, sed ac-  
cessitus ad huius legationis annus  
ac felicius segregatus quam eram, cūm pharisaicæ factio-  
nis propugnator, impiè pius, et indocte doctus errarem:  
sed nūc demum uerē Pharisæi dignus cognomine, quippe se  
motus selectusq; ab ipso Christo, ad obeundū negotiū lon-  
gè præclarius, nempe ad prædicandū Euangeliū dei, nec  
id sane nouū, sed iam olim ab ipso promissum prophetarum  
ipsius oraculis, quæ nūc quoq; extant in libris, non quibus-  
libet, sed sanctis inuiolataeq; fidei, de filio ipsius, qui in tem-  
pore natus est ē stirpe Dauidica iuxta carnis infirmitatem,  
sed idem declaratus est æterni dei æternus esse filius iuxta  
spiritum omnia sanctificantem: declaratus autem cūm alijs  
permultis argumentis, tum præcipue ex eo, quod ipse de-  
uicta morte, resurgens ē mortuis, omnibus in ipso renatis,  
resurrectionis princeps et autor factus est Iesus Chri-  
stus dominus noster: per quem nos non solum hanc grati-  
am, quam legis obseruatio conserre non poterat, sumus  
asseuti, uerum etiam apostolicam functionem, quo quem-

Alludit ad San-  
tem, quod dici  
tur inquietudo

Alludit ad Pha-  
risæi nomen,  
quod à diuini-  
tate dictum.

In scripturis  
sanctis.

bbb a admo

## REVERENDISS.

IN CHRISTO PATRI AC D.D

Thomae. s. R. E. T. S. Ceciliæ præbytero

Cardinali, Archiepiscopo Eboracensi,

Angliae primati, ac totius regni

Cancellario summo, Dcs.

Erasmus Rot. s. D.



V M frequenter circunspectasscm, quanā studiorum meorum factura magnitudini tuæ responderem, quæ me hactenus sancte deterruit, ne quid lucubrationum mearū auderem tibi dedicare: tandem mihi uisus sum bis inceptus: primum quasi sit aliquid in meis literis, ingenio ue, quod etiam si me rupero, tuam amplitudinē pos sit æquare, siue spectamus dignitatis istius fastigium, siue hoc fastigio dignissimas animū tui dotes, siue officia quibus quotidie tua benignitas onerat non tam me, quam ipsa bonarum literarum ac ueræ Theologie studia: aut quasi tu is essem, qui librum uoluminis magnitudine magis, quam utilitate soleas estimare. Quanquam igitur nondum perfunditum prouincia Paraphrascon, quibus epistolas Paulinas, & Petras, & Iudeas, & Corinas, fatigatus etiamnum uiribus, mox exciperet diuicatio cū obtrectatoribus: tamē illis tumultuario milite profligatis, ijsdem statim copijs aggressus sum duas epistolas Petri, & unam Iude: simul illud mecum cogitans, quod diuis offertur aut uiris summatis, aptū esse oportere magis, q̄ aequale. Siquidē olim absurdè facere uisus fuisset, si quis Musis offerret hecatōbē, aut hæderaceas corollas Marti. Itaq; primum illud mihi uisum est cōgruere, si ad tam eximū religionis antistitē irct Petrus incom

# Dr E R A S M I

ROT. IN EPIST. PETRI  
APOSTOLI PRIOREM  
PARAPHRASIS.



**E**T R V S ille quondam discipu-  
lus & cōuictor, nunc legatus & a-  
postolus Iesu Christi, omnibus qui  
sparsim habitat in minoris Asie re-  
gionibus, Poto, Galatia, Cappado-  
cia, eaq; parte, quæ est Ephesiorū,  
ac propriè sibi nomen Asie uendi-  
cat. Bithyniaq; quos uel olim bellorū procellæ aliquos aliò  
disculperunt, uel nuper eorum sauitia, quibus Christi no-  
mē erat inuisum, patris sedibus exegit innoxios, atq; ideo  
nunc extores inter peregrinas nationes uelut exulant,  
exclusi quidem hominum metu à solo natali, at nō ideo se-  
moti, nec exules aut abdicati ab Euangelij munere, quod  
deus omnium princeps ita largitus est primū terræ gen-  
tiq; Iudaicæ, ut tamen omnibus uelit esse communis, quoſ-  
cunq; delegerit ipse. Nam ut frustra nati sunt ac uiuunt  
Hierosolymis, qui Iesu Christi doctrinam aspernantur: ita  
nulli futurum est fraudi, quod inter gentes incircuncisas ac  
profanas habitat, si modo pro lege Mosaica gratiā euan-  
gelicam amplectatur. Neq; enim legis obseruatio qua tu- Electis aduc  
met Iudeorū uulgus, præstat uerā salutē, neq; genus, aut nis.  
locus, sed gratuita numinis electio. Ille uerē Iudæus est,  
qui quocunq; solū incolens, quocunq; genere natus, Ie-  
sum Christum agnoscit uerae salutis autorem, qui non uni  
gēti mortuus est, sed orbi terrarū uniuerso. Ut autē hunc  
M m m 3 agnoscā

faciunt, faciant cum alacritate & gaudio, potius quam genitores. Nā id quemadmodum illis est molestum, ita uobis est inutile. Illis tedium est labor sine fructu suscepitus, uobis non expedit iram dei provocare in uos inobedientia. Fratres, & nos precibus uestris deo commendate, si quidem uidetur annumcrādus inter eos, qui uobis bene præfunt. An omnibus prober nescio, certe cōfidimus, quod sincere nos gessum cum bona conscientia apud omnes, qui cupiunt ad euangelicam regulam uiuere. Quod ut faciatis, eo precor impensius, quo celerius pessimū uobis restitui. Interim uicissim precor pro uobis, ut deus pacis anter, qui renouauit à mortuis summū illum oīum pastorem dominū nostrum Iesum Christum, qui rediuitus per sanguinem suum ingressus est cœlum, pro nobis interpellaturus patrem, quo sanguine consecravit nouum & eternum testamentum, perficiat uos & consummet in omni opere bono, ut idonei sitis, qui satisfaciatis uoluntati ipsius, atq; idem efficiat, ut quod agitis, acceptum sit in conspectu ipsius: idq; per Iesum Christum, qui semper adest commendans sacrificia nostra, cui debetur omnis gloria, non solū in hac uita, sed in omne tempus, Amen. Nihil est quod nobis ex beneficiis arrogemus, ipsius donum est, quicquid facimus tale, ut placeat oculis dei. Hæc exhortandi gratia scripsi uobis, id boni consuletis, quod à nobis bono animo factum est. Scripsi paucis, ut ipse uos breui uisurus. Scire uos uolo, quod Timotheus in presentia nubi non adest, sed aliò dimissus est: si celerius redierit, hoc comite uos inuisam. Salutem meis uerbis omnes qui præfunt uobis, sed & cū his omniē sanctorum gregem. Salutant uos Itali. Gratia favore dei semper adsit uobis omnibus. Amen.

BIBLIOTECAS.

